

**Disputatio medica inauguralis de catalepsi. Quam ... publico examini /  
subjicit Bernhardus Albinus ... anno M DC LXXVI.**

**Contributors**

Albinus, Bernhard, 1653-1721  
Rijksuniversiteit te Leiden

**Publication/Creation**

Francofurti ad Viadrum : Literis Christophori Zeitleri, De novo impressa anno  
1690.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cy6r6k2r>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

11 10.  
*Disputatio Medica Inauguralis*

DE

# CATALEPSI,

*Quam,*

Præsiede TRI-UNO DEO,

*Ex AUCTORITATE MAGNIFICI DN. RECTORIS,*

DN. JOHANNIS COCCII,

*in Inclytâ Lugd. Batav. Academia Eloquentiæ & Historiarum Profesoris Celeberrimi,*

*Nec - Non*

*Amplis. Senatûs Academici Consensu*

*& Almae Facultatis Medicæ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA honoribus

*ac privilegiis legitimè obtinendis, capiendis,*

*Publico examini subjicit*

BERNHARDUS ALBINUS,

Desa - Anhaltin.

Die XII. Maji, loco, horisque consvetis,

ANNO M DC LXXVI.

---

*Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI,  
de novo impressa Anno M DC XC.*



*Serenissimo Principi ac Domino,*  
**DN. JOHANNI**  
**GEORGIO,**

*Divinâ favente clementia,*

**Anhaltinatus Principi Seniori,**  
**Comiti Ascaniæ & Ballenstadii, Dynastæ Servestæ**  
**ac Bernburgi, &c. &c.**

**Augusti atqve Potentissimi Electoris Branden-**  
**burgici Supremo Campi Mareschallo &**  
**per terras Electorales Vicario,**  
**&c. &c.**

*Principi ac Dn. suo Clementissimo*

*Hoc Inaugurale thema humillimè consecrat*

*Serenitatis suæ*

*Subjctissimus*

**BERNHARDUS ALBINUS.**



# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE CATALEPSI.

## THESIS I.



**N**æc seculi hujus felicitas est ut ea in aprico posita conspiciat quæ vel per transfennam veteribus non apparuere. quæ enim tot omnibus omninò omnium seculorum fatigatis imposuere silentium ingeniis, quantumvis solertibus, phænomena Fixarum, Planetarum, & jam disparentium, magno jam cum fulgore redeuntium Cometarum, & quicquid mirandi maculosum exhibet terræ sidus, ea ad unum omnia in sua resoluta vidimus primordia. *Natura enim ipsarum multò facilius capipoteſt, cum ita paulatim orientes conspiciuntur, quàm cum tantum ut absolutæ & perfectæ considerantur, inquit nobilissimum Philosophiæ sidus R. Des Cartes in methodo p. 29.* Easdem in homine rimari nobis, pro Inaugurali themate, liceat primitias; non omnes (esset enim & arrogantix signum & limites transcenderem disputationis) sed eas tamē quæ præsentī phænomeno sufficiant explicando.

## II.

*Catalepsis* verò; sive dicatur κατὰ χῆν, sive *Oppressio*, *Apprehensio*, *Detentio*, *Ecstasis*, *Congelatio*, Ἀφασία, ut voluit Diocles; *Comatodes*, ut *Praxagoras*; *Anaudia*, ut *Antigenes Cleophant.*; *stupor vigilans*, &c. magni non intererit, ni modò nostros postea nomini alligando conceptus, in labyrinthum præjudiciorum, ut ferè fieri solet incidamus, & circa verba magis quam rem versemur, ut monet *Des Cartes princip. p. 1. §. 74.*

## III.

Si nullum, aut ferè nullum, in tam profundo observationum



pelago phænomenon & rarius & mirabilius invēniri dixero, non putem à veri tramite me multum deviaturum. *Nam quum Catalepsi quis corripitur, confestim instar marmoreæ statuæ gelatur, nec mutat contractus præsentem corporis habitum, sed subito tanquam afflatus sidere, aut (quod est in fabulis) Meduseos vultus conspexerit, attonitus rigidus q̄ consistit, qui si ve jaceat oclusis genis, si ve stet respiciens, quod agens tum erat, in eo statu immotus permanet.* P. Forestus T. 1. l. 10. obs. 41. in schol. Alii quamvis & motus & loquelæ expertes, adstantium tamen & audire & postea retulere sermones: *Is quoque eodem tempore, quæ loqueremur audire se dixit, quanquam non evidenter clare q̄.* Nonnulla item & memoria tenens referebat præsentēsq; omnes se conspiciere dixit: inquit de condiscipulo suo Galenus in comm. in 1. prorrh. f. 2. part. 56. Alii quamvis nec audirent nec cernerent, si quid ori inferebatur deglutiebant, & sublatis consistebant, impulsu incedebant, & membra prout illis flectebantur, eo situ fixa retinebant. F. Plater. prax. med. lib. 1. cap. 2. Citò fit & citò desinit, nam aliquādo Catalepsis spatio trium horarum desinit citra sensibilem evacuationem. P. Forest. obs. Tom. 1. obs. 42. in schol. Facilis est respiratio. Fernel. lib. 3. de morb. part. cap. 2. Pulsus est integer.

#### IV.

Omnis ævi Philosophi pariter ac Medici in eo fuere ut explicatum irent phænomena motus, sensus atque illorum quæ non attendente mente in habitaculo sui corporis fiunt: cum verò illotis, quod ajunt, manibus præcipiti lapsu in sacrarium naturæ ruerent sensuum involuti præjudiciis; hinc factum, ut miserè dilaceratam & turpiter conspurcatam naturæ nobis reliquerint scientiam: ne enim, quod penitus ignorabant, ejus tamen ignari viderentur, finxerunt sibi nescio quas facultates sive potentias naturales accidentarias, illasque in vegetativam, sensitivam, appetitivam, loco motivam & rationalem subdividebant. C. F. D' Abra de Raconis de corpore animato f. 4. art. 2. membr. 1. atque ita Philosophi. Medici verò Nutricum, Auſtricum, Generatricum, illarumque subministrarum, quas referre tædet, Patroni & Authores erant. D. Sennert. instit. Med. l. 1. cap. 9. Sic, ut præsens thema ex his similibusque principiis explicatum darent, adeò miserè se torserunt, adeò abscondas causæ & effectus dedere connexiones, ut satis pateat illos ignorantia suæ velum aliquod speciosum obtendere sategisse: specimen vide sis apud D. H. Mercurialem curat. med. pract. c. 8. l. 1. & apud alios passim. Sic Chymicorum nonnulli, cum viderent alcohol vini ab affuso spiritu



ritu salis Armoniaci aut Urinæ rectificat, coagulari in massam nivis instar albam; simile quid in igneis spiritibus animalibus fieri concepere & sic, res seriatim non connectentes, fieri *Catalepsin* somniantur.

## V.

Sagax verò Solertissimorum Anatomicorum industria (*Bartholinos, Willisios, Drelincurtios, volo*) & mechanicorum regulæ nos immunes ab errore servabunt, si omnia ad illorum examinaverimus & rigorem & regulam. Atque in antecessum dixerimus nos ea saltem, quæ *Catalepsin*, quâ talem, respiciunt, explicaturos phænomena: quod enim gelentur nonnulli instar marmoreæ statuæ, alterius pensi res est; congelatos enim restituere humores, hic Rhodus, hic saltus! cum certi mortis sint candidati. *Memoriæ proditum est*, inquit Q. Curtius lib. 8. cap. 4. *quosdam adplicatos arborum truncis & non solum viventibus, sed & inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu in quo mors quemque deprehenderat.* Hos sanè, quos frigus extinxerat, *Catalepticos Alexander M. exoptasset, nec tanti in Gabazam constitisset iter. Sic Celeberrimus D. Tb. Craanen, Præceptor meus honorandus; & cujus mihi sancta erit, dum vivam, memoria;* ab Epilepsiâ infantem vidit mortuum, cujus genæ ab humoribus congelatis duritie cum quovis marmore certabant. Reliqua verò aut explicabimus omnia, si proposita ferat brevitās, aut illa quæ elucidabimus erunt talia, ut ex iis sponte reliqua sequantur.

## VI.

Cum humanitate suâ exuimus hominem, in partes vid. illum resolvendo; cernimus quæ connexa esse nequeunt, hic tamen arctissimè sibi unita; id quod nullibi est à locato comprehendere videmus; *Cogitans* atque *Extensum* in se mutuò agunt, à se patiuntur mutuò, certos motus sequuntur certæ ideæ, de illis ceu de actis & probatis judicat mens, judicii exequitur officia corpus; quæ connexio? quo vinculo ligantur? Testatur politia Principis conspecto nomine atque insignibus integros moveri exercitus & nullam insignium dicto cum effectu esse connexionem nisi solius Principis beneplacitum, & receptum in regnis morem; erit igitur & hic aliquod *Superius Ens*, cujus beneplacito ex certis cogitationibus spiritus animales, totidem quasi militum turmæ seu manipuli distincti, aut ad hæc aut ad illa corporis claustra amendantur, & vice versâ quasi totidem sint excubitores in speculâ constituti, qui, quodcunque



notabile in Oeconomiâ corporis occurrat, id denuncient menti. *Et sic illa sola sentit seu judicat occasione motuum organi corporei de rebus extra nos positis, id enim sensus denotat nomen. Des Cartes in resp. sext. art. 9.*

## VII.

Observant Profectores nervos à cerebro & utroque medullæ spinalis trunco oriundos in quasunque totius corporis divaricari partes & semitas esse particulares quâ quâ versus in singulas animati corporis regiones protensas, ita ut cerebrum in totidem abire videatur funiculos, fibrillæ enim illius in unicam quasi colliguntur fasciam, ut sint unius instar trunci, quamvis revera toto tractu sint singulares: pariter ac netrices à colo cum fila trahunt girgillo quamvis plurimas combinent lini fibras & combinatas invicem contorqueant in filum, singula filamenta, ut ut intorta, tamen quod in colo habent separatum initium in progressu servant: nervi è cranio exeuntes analogum quid referunt, sunt enim quasi totidem in filum compactæ lini fibræ & communi funiculo ad musculum cum pervenire in similes iterum divaricantur fibrillas, ita ut ex infinitis illis per longum & obliquè circumductis cutis combinata sit, teste microscopio, & faciant reticulare corpus quod post cuticulam sese obtulit *Malpighio. Barthol. anat. l. 1. c. 2.* hæc docet Anatome.

## VIII.

In Oeconomiâ verò animalis ulterius progressi philosophi videre illas, ut ut intortas variis meandris, fibrillas teretes sibi incumbere nescias, quin sex præter propter circa se relinquant alveolos, & *sannæ Indicæ instar ubique porosos ac pervios esse: Willis. anat. cerebr. cap. 19.* Non autem illæ fibræ in cerebro indifferenter oriuntur (de iis loquor quæ directo mentis subsunt imperio) sed in illis iisdem cavitatibus, quæ in cerebri interioribus sunt recessibus, spirituum emporiis, & sub quorum fornice plexus suspenditur choroides, spirituum officina, è quo in ventriculos tanquam amplissimum feruntur campum, ut sub concamerato hoc fornice quasi totidem succenturiati sarissis antesignanos premant velites, ad quemlibet sensorii nutum, vel ab iis premantur. Quod fieri certè nequit nisi in conterminis his partibus situm sit corpusculum quod hos nervorum respiciat tubulos, quod mobile sit & quod ad futuros usus continuò præsentis spiritus habeat ministros, quodque quibuslibet nervorum tremoribus expositum sit, in quo resideat mens, quæ luciantes illos



illos spiritus premat imperio atque ex *Tbes.* vj. de illorum judicet motibus : ita ut quod de *Æolo* suo *Virgilius* l. i. *Æneid.* v. 64. dicit, hic meum facere non inconcinne possim,

— — *Speluncis abdidit atris ,*  
— *Molemque & montes insuper altos*  
*Imposuit , regemque dedit , qui fœdere certo*  
*Et premeret , & laxas sciret dare jussus habenas.*

#### IX.

Sita autem est ad ortum foraminis, quod *nobilis* & *medius* ventriculus commune habent, *glandula* plexus choroidæi, *pinealis* dicta, quam inter testes nerveus utrimque firmat funiculus. *Tb. Barthol. anat. lib. 3. de capite cap. 6.* quæ unica est, & mobilis in medio fontis & originis spirituum sita. *De la Forge de mente humanâ cap. 15.* Illa igitur erit sensorium commune, folium mentis *C. ab Hoogelande æcon. anim. p. m. 40. & 227.* Illa erit in quâ mens & impressiones factas percipiet, & cujus in spirituum hic cum omni indifferentiâ motorum, determinatione utetur ministerio. Imò cum nervi ( quorum fibrarum series ordinatas & quasi oculos subeunt implentque animales spiritus, quasque fibras chordarum instar tendunt ) ab alterâ extremitate fuerint moti, è vestigio quoque cerebri trahuntur partes, & sic in spiritibus motuum fiet diversitas : cum autem glandula ad instar globulorum ab aquâ è fonticulo saliente in aëre detentorum à spiritibus elevata teneatur, fieri certè nequit, quin ut globulos illos levissimus ventus deicere, ita levissima conarion afficere possit radiatio : ita ut minime mutationes, quæ accidunt cursui spirituum multum inserviant mutandis motibus hujus glandulæ. *Des Cartes de passion. part. 1. art. 31.*

#### X.

Prolixus & multus ut sim in motibus membrorum explicandis è re non est, Mathematicè satis illos demonstrant *G. Charleton in æcon. anim. exerc. xj.* Inpræsentiarum annotasse sufficiat, humorum per partes circulantium indifferentis motus æquilibrium tolli ab affluentibus per tubulos nervorum spiritibus, eò à nutatione conarii, ex imperio mentis factâ, determinatis, quo sublato plenis velis remisque ad oppositum partis tendunt musculum, illum, tanquam aura spirans vela, inflant, inflatum contrahunt, & sic mens tot suffulta organis, tot cincta satellitibus, author est ut quaslibet corpus induat figuras, jam stet, jam sedeat, jam ambulet &c. & donec



eodem determinantur spiritus modo idem erit corporis situs, nec ille mutari poterit, nisi mutata determinatione.

### XI.

Et quamvis *mens* toti suo unita sit corpori, quatenus mutuus organorum respectus id quodammodo facit indivisibile, multa tamen sunt quæ in illo, vel mente non attendente; vel quæ licet attendat, advertere tamen nequit, fiunt: ut quæ automatica salem sunt & mechanicè solùm, tanquam anima in corpore præsens non esset (ut ad vivum in brutis videre est) explicari debent, perperam ac veteres fecêre: Talia sunt chylicatio, circulatio sanguinis, nutritio, respiratio & deglutitio, quæ ultima duo *Nobilissimus Cartesius*, ut solet, *de homine* §. 11. & 12. accuratissimè explicat, quorsum brevitatis causa lectorem relego, utpote postea usui futura, egregium etiam *de respiratione D. J. Schvvammerdammi tractatum* videas.

### XII.

Ventriculos *Thef.* VIII. diximus spirituum promptuaria esse, sed in contrarium magna eruditorum cohors deflectit: *Nobis verò videntur excrementa, quæ in cerebri nutritione segregantur, seu pituitam in cerebro genitam colligere, & per meatum ad infundibulum mittere*, inquit *C. Baubinus anat. l. 3. c. 13. Excrementorum receptacula* vocat *Barthol. anat. lib. 3. de cap. cap. 6.* Verùm si liceat & nobis, quod licuit *Hippocrati* *ἡ δὲ δεξιὴν ἢ σιγερὴν* §. 3. cavitatum evolvere generationem, affatim à priori nostrum patebit assertum. Cogitandum enim est in principio generationis cerebrum nil aliud fuisse, quàm viscidam aquam, quæ sanè in meditullio in fornices excavari non potuit: lubricis enim & lævibus aquæ exhalantibus particulis crassa remanet materia, quæ in unum compacta informe dabit chaos: debuit igitur alia extitisse vis, quæ illas & efformaret & nunc conservat speluncas; quidquid verò rimemur non occurrit alia nisi spiritus vi exilientes è vasis plexus choroidæi singulis arteriarum pulsibus: non ibo tamen inficias, idem per totam cerebri fieri molem, cum per totum dispersa sint capillaria vasa, non tamen erit notabilis quam efformabunt cavitatem, sed vias saltem suæ figuræ & magnitudini appropriatas, quæ nobis tubulorum veniunt nomine, dabunt.

### XIII.

Plexus autem ille reticularis ex arterioliis, quibus constat, ferè innumeris integras catervatim emittit spirituum turmas, qui junctis viribus exilientes materiam sibi obviam removêre, sed quia  
aquea



aquea denuò collapsa & formata obliterateda cavitas. Cum verò paulatim exiccaretur cerebrum, spiritus illam sensim & sensim magis removerunt, ut cum cerebrum cum tempore magis & magis exiccatum aliquam fuerit nactum consistentiam, difficilius & difficilius potuerit relabi, seu materia subtilis non amplius sat habuerit roboris ad inflectendas & agitandas illius particulas, unde fit ut unæ aliis impositæ sistantur; donec tandem constantem potuerint servare situm ventriculi, & jam sint instar organi musici arcæ, quæ ventum tibiis omnibus sufflandum excipit, & ut *secretum* id, ut vocant, semper repletum est vento, fistulæ tamen omnes æqualiter non sonant, sed prout per harum illarumve aperta fertur orificia aer diversimodè modulatur, simili modo spiritus, jugiter in cerebri manantes ventriculos, non omnes simul nervorum subeunt tibias, sed prout spiritus ex arteriis conarii, certâ ratione nutantis, egredientes peculiarem fecerint radiationem, qualis pone navigium in fluvio videre est, spiritus horum potius quàm illorum determinabuntur.

#### XIV.

Facilis nunc erit phænomeni explicatio, quod immoti in eodem maneant statu, idemque membrorum perseveret situs; cum enim mens functionibus obeundis intenta, spiritus, velut totidem aquarum rivos à perenni fonte scaturientes vivâ scaturigine, quod pulsus integer indicat, ad hos illosve circulantium humorum vortices, ut tollat æquilibrium, determinat; si de fortuna vasculorum plexus choroidæi pori nimium aperiuntur, ut effundant humorem pituitosum, qui in glandulæ funiculos vel illam circum circa resideat, ut fiat immobilis, tunc ipso illo instanti eo in situ membra manebunt in quo erant cum glandula ita motum spirituum determinaret, & quamdiu ejus idem erit situs non possunt non simili spiritus influere modo; & sic, si jaceat occlusis oculis, si stet respiciens, in eo statu immotus permanet, cum factus est Catalepticus. Si moveas brachium sursum, elevatum manebit; si protrudas passus aliquot incedet; quia causa externa, quod catarrhus denegat glandulæ, motum spirituum, alios nervi tubulos aperiendo, aliter determinat.

#### XV.

Audivêre igitur adstantium sermones; quod tremulus fibrillarum motus reciprocatione sua spiritus conquassaverit, & sic ad glandulam



glandulam delatus magis illam presserit. Quam pressionem, nisi in totum catarrhus illam circumvallaverit, illi juncta mens è vestigio sentiet, si præsertim id vestigium à specie satis vividâ satisq; distinctâ & efficaci (quia hic mentis attentio circa fortiolem quandam occupata est causam) ad obligandam animam, exhibeatur; unde *Tb. 3.* Galenicus ille æger minùs evidenter undulatorium aëris motum vestigium suû impressisse glandulæ, postea commemoravit. *Audita* verò aliqui egri postea *retulêre*, quod menti rei semel perceptæ plica cerebri manserit familiaris; ut postea denuò Domina determinationis glandulæ facta, familiariter illa vestigia relegat, & sic rem perceptam insequens testetur commemoratio. Sed si in totum catarrhus complectatur glandulam, ille quemvis arcebit motum, & sic quoque omnes ab istis oriundas motibus confusas cogitationes, quos sensus vocamus. Et quamvis sic ab objectis externis cerebri impressa relinquantur vestigia, ad reminiscendum tamen illa ne-tiquam apta erunt: *aliud enim est percipere aliquid secundâ vice, & aliud animadvertere id pro secundâ vice nos percipere. De la Forge de mente humana cap. 19.* Sed quomodò anima postea, cum summa denuò in folio refulget potestate, antea facta conjecturâ assequetur? nec sanè de non relatis in memoriæ archivum unquam accusari poterit; eò quod rei illius tunc nullam habuerit ideam; nec ideò unquam postea animadvertet se percepisse, quod nunquam percepit.

#### XVI.

Deglutiunt verò quidquid insertum est ori; cum è numero eorum quæ mechanicè ex *Tbes. xi.* in corpore fiunt sit deglutitio. Pari modo & facile respirant: *Respiratio enim aliæque hujusmodi ordinariæ & naturales actiones à spiritibus dependentes, similes sunt motibus horologii aut mola, quorum motus jugi aquæ defluxu continuantur. Des Cartes de homine §. 10.* Sunt enim ex iis quæ vel repugnante animâ tamē fiunt, pari modo cum pugnū amici quamvis præmoniti nostris imminere oculis videmus, non possumus non quin vel inviti retrahamus caput, aut oculis nictemus. *Quinimò ea quæ nobis noxia sunt repellimus, aut etiâ ictus quibus petimur declinamus tam inconsultâ ratione, ut quamvis deditâ operâ vellemus manus nostras capiti non prætere cum cadimus, tamē non esset penes nos id non facere. Des Cartes epist. part. 1. epist. 54.*

#### XVII.

Visum hætenus in morbo hoc deesse nil aliud quàm determinationis varietatem; spiritus enim sufficientes gigni, integer testis est



est pulsus; in nervos influere, idem membrorum indicat situs. Visum insuper catarrhum forte fortunâ (unde authores ridemus, qui *procatarrhicas antecedentesq;* hic investigant causas) ex poris arteriarum in glandulam resedisse atque sic eam in momento immotam fecisse: hinc citò invasit hominem, si jam exiguus ille catarrhus in aliquem ventriculorum diffuat *Catbochus subito dissipatus* erit. Ita *Capo de Vacca* vidit monacham, quæ incidit in *Catalepsi* ut brachia curva in eodem manerent statu, & affectio tantum per duas horas durabat. *Forest. obs. Tom. 1. obs. 42. in schol.*

### XVIII.

Hoc malum si aliquamdiu duret ne perpetua subsequatur *fatuitas* metus est. Si enim ille catarrhus paulatim fuerit ibi putrefactus; & cum eo simul unus alterve glandulæ funiculus, illa hinc & illinc subsiliendo confusè per cerebrum vagabitur & in hæc vel illa incidens vestigia, menti illa ex *Thes. vi.* representabit, quæ illa nectendo, facit phænomenon, quod *fatuitas* dicitur, & quidem insanabile.

### XIX.

Cum morbus hic sit Theoreticæ potius contemplationis, quam curationis Medicæ objectum, magna in eo curando moliri non possumus. Malè hic procedunt Practici, & se veræ vel ignaros philosophiæ vel illâ uti nescios esse, aperta exhibent indicia. Malignum aliquem, melancholicum & venenatum humorem respicit *F. Plateus prax. Tom. 1. cap. 2.* Vel melancholiam, vel frigidam intemperiem vel sanguinis copiam indicat *L. Riverio prax. l. 1. cap. 4.* Vaporem melancholicum valde gelidum factum ob intemperiem cerebri frigidam attendit *Forestus de cerebr. morb. lib. 10. obs. 50. in schol.* Vapores qui suâ virtute acidâ vitriolata, ac pontica figunt spiritus animales & nervorum tunicas constipant vult *Thonerus lib. 2. obs. de Catal.* Unde varia remediorum habent genera. Altercantes de cucurbitulis adhibendis vide apud *H. Mercur. prax. l. 1. cap. 9.* Sed verba fundunt sibi ipsis non satis intellecta, nec ulla apparet causæ & effectus distincta connexio. Nos omnem illum rejicimus apparatus, & extra paroxysmum nulla in usum revocamus remedia. Egregium scilicet esset, cum ille catarrhus è sanissimo possit expelli sanguine, medicamentis illum sanguinem corrumpere, ut miseria hominis postea indies medici testetur ignorantiam.

### XX. In



## XX.

In ipso autem paraxyfmo duo attenderemus, tentaremus enim anne, quia ab exiguis circumstantiis dependet morbus, irritatione à sternutatorio tactâ, catarrhus excuti queat, in nares sufflando piper, zinziber, elleborum album, petum, pyrethrum, euphorbium similiave *πάρυμα* subtiliter pulverifata. Propinaremus deinde sudorifera potentissima ex mineralibus vg. Bezoard. miner. simpl. miner. Solar. Lunar. Antimon. alb. fix. Sulph. antim. fix. &c. vid. *J. Hartm.* prax. chymiatr. p. m. 27. & porro ex fale aliquo sudorifico, & hic simul curæ & Disputationis sint Limites.

## C O R O L L A R I A.

I.

*Mens in fatuitate recte ratiocinatur.*

II.

*Pulmo ad respirationem necessarius non est.*

III.

*Fonticulos in Medicinâ rarissimè admittimus.*

IV.

*Ut cor non est calidum sic cerebrum non est frigidum.*

V.

*Cerebrum est omnium sensile maximè.*

F I N I S.